

Hinc S. Ambrosius de *Elia et jejuniis* cap. 7, sic ait: « Quid autem obstationem potentium loquar? Quid memorem sacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquiunt, pro salute imperatorum, et qui non biberit, sit voti reus in devotione. Videtur enim non amare imperatorem, qui pro ejus salute non biberit. O piæ devotionis obsequium! Bibamus pro salute exercituum, pro comitum virtute, pro filiorum sanitate. Et hæc vota ad Deum pervenire credunt. O stultitiam hominum, qui ebrietatem sacrificium putant! » (31. Unde Fornerus loc. cit., cap. 19, suadet principibus, ne permitant hujusmodi vinaria vota pro sua salute fieri, ne Deus irritatus peccatis quæ intervenire solent, morbo potius illos plectat, quam sanitate donet. Vid. Gobat., loc. cit., sect. 8, per tot. La Croix loc. cit., num. 327. Forner., loc. cit., cap. 19.

(32. Gulæ filia quinque assignantur a S. Gregorio, l. III. *Moral.*, c. 17 (alias 31), a S. Thoma 2-2, q. 148, art. 6, in corp., S. Antonino, part. 6, tit. 6, cap. 4, ante § 1, et sunt: Hebetudo mentis, inepta lætitia, multiloquium, scurrilitas, immunditia. (33. *Per hebetudinem mentis* intelligitur obfuscatio intellectus orta ex ciborum et poculorum fumositatem, caput perturbante, atque impediens operationes intellectus ac rationis, ut non possint penetrare ea quæ cæteroquin possent, ac deberent, et ideo monuit Christus Luc. XXI: *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate.* Unde S. Joan. Chrysost., hom. 44 in *Joan.*, sic ait: « Nihil gula perniciosius, nihil ignominiosius est; hæc obtusum, et crassum ingenium, hæc carnalem animam reddit, hæc excæcat intellectum, nec sinit, ut quidquam perspiciat. » Tunc solum per eam aggravatur malitia Gulæ, quando per eam impeditur cognitio illorum, quæ quis scire debet, v. g. necessaria ad salutem, et necessaria ad recte fungendum officio proprio, et hujusmodi; S. Anton. loc. citat.; Baldell. *Theolog. moral.*, lib. III, disp. 2, n. 1, et alii. (34. *Per ineptam lætitiã* intelligitur lætitia vaga, et incom-

posita, reddens hominem inaniter hilarem, et eum excitans ad stulte, obscæne aut infamatorie loquendum, ad ridicule saltandum, ludendum, et hujusmodi. Unde Exodi XXXII dicitur: *Sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere,* et S. Gregorius lib. I *Moral.*, cap. 4 (alias 5), sic ait: « Pene omnes epulas comitatur voluptas, nam cum corpus in refectiois delectationem resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. » Ordinarie loquendo non excedit peccatum veniale, nisi adhibeantur gestus, saltus, aut verba ad grave peccatum inducentia, vel grave malum causantia. (35. *Per multiloquium* intelligitur certa quædam superflua loquacitas, per quam augetur mortaliter Gulæ malitia, quando potus, vel cibus ingestus causa est gravis detractionis, secretorum revelationis, et hujusmodi. Unde Prov. X dicitur: *In multiloquio non deerit peccatum.* (36. *Per scurrilitatem* intelligitur certa jocularitas, qua excitatur risus per verba inhonesta, aut etiam per actus exteriores inhonestos; S. Thom. loc. cit., art. 6; S. Anton. l. cit., § 5. Unde S. Chrysost., homil. 57 ad *popul.*, sic ait: « Ubi ebrietas, ibi diabolus, ibi turpia verba; ubi saturitas, illic dæmones choros agunt, » etc. Scurrilitas si sit in materia indifferenti, cum solo excessu in jocis et facetiis, est solum venialis. (37. *Per immunditiam* intelligitur inordinata emissio quarumcumque superfluitatum, sive per vomitum, sive per pollutionem; S. Thomas, loc. cit., art. 6. Gobat. tom. II, tract. 5, cap. 23, num. 209. Unde Apostol. ad Ephes. V dicit: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, et sanctus Hieronymus, epist. 83 ad Oceanum,* sic habet: « Venter mero æstuans cito despumat in libidines; in vino luxuria, in luxuria voluptas, in voluptate impudicitia est. » Ordinarie immunditia est solum peccatum veniale, potest tamen esse mortale, si inde sequatur notabile damnum in corpore, vel bonis fortunæ, aut aliorum scandalum; aut ex excessivo potu, et cibo intendatur, et directe procuretur voluntaria pollutio.

H

HABITUS.

SUMMARIUM.

1. Habitus non facit Monachum, sed Professio regularis. — 2. Ut Professio regularis faciat verum Monachum, debet Novitius per integrum annum probationis deferre Habitum Monachalem, aliter Professio est invalida. — 3. In Habitu Sæculari nequit fieri Novitiatus. — 4. Habitus Novitorum est triplex pro diversitate Religionum, et assignatur. — 5. Deferre habitum Novitorum non est de essentia, et necessitate anni probationis ad validitatem Professionis, sed sufficit deferre Habitum Religionis, seu Professorum. — 6. Novitius deferens per annum Habitum Religionis, completo integro anno probationis censetur tacite professus, si Habitus, quem defert, sit patenter indistinctus ab Habitu Professorum et aliunde concurrant aliæ qualitates requisitæ.

— 7. Secus autem, si Habitus Novitorum sit patenti distinctione distinctus ab Habitu Professorum. — 8. Nec requiritur protestatio ad hujusmodi Professionem præcavendam. — 9. Nec nocent antiqua Jura, quia censentur correctæ per Clementinam *Eos, qui, 2 de Regularibus.* — 10. Habitus Religionis debet patenter deferri, non autem occulte. — 11. Potest autem Religiosus Habitum occulte deferre, seu etiam deponere, et alium inducere absque ulla culpa, si id faciat ex aliqua justa et rationabili causa. — 12. Religiosus dimittens temere Habitum suæ Religionis, est ipso facto excommunicatus. — 13. Habitus dimissio dicitur temeraria ad incurrandam hanc excommunicationem, cum sit animo vacandi et sine rationabili causa, secus si ex justa causa. — 14. Religiosus temere exiens a Claustro cum Habitu ita abscondito, ut a circumstantibus cognosci nequeat cujus Ordini-

nis sit Religiosus, incurrit dictam Excommunicationem. — 15. Religiosus dimittens Habitum temere, sed intra Claustra, non incurrit dictam Excommunicationem. — 16. Non incurrit dictam Excommunicationem Religiosus qui intra, vel extra septa ex quadam levitate dimittit Habitum suæ Religionis; et assignantur varii casus. — 17. Nec etiam dictam censuram incurrit, si Habitum dimittat ad finem domesticæ manendi per totam diem in Camera, vel alibi, dummodo Sæcularium conspectui non se exhibeat. — 18. Nec item incurritur dicta Censura propter dimissionem Habitum, si fiat animo adeundi pro brevi tempore ad lupanar, vel aliud turpius peragendum. — 19. Religiosus tenetur semper portare Habitum suæ Religionis. — 20. Verum ly semper debet intelligi moraliter. — 21. Religiosus an teneatur deferre, seu tenere proprium Habitum, et dormire cum ipso sub culpa, et sub qua, usque ad n. 22. — 23. Habitum Sæcularium Ordinum debent deferre Regulares ad cardinalatum assumpti. — 24. Sic episcopus Regularis tenetur portare Habitum suæ Religionis. — 25. Episcopi, et Cardinales Regulares, quamvis peccent, si sine causa Habitum Religionis deponant, non incidunt tamen in dictam Excommunicationem latam in cap. *Ut periculosa.* — 26. Habitu Clericorum Sæcularium, qui in Episcopos creantur, uti possunt Canonici Regulares ad Episcopatum assumpti; nunc autem quoad Habitum Episcoporum et Cardinalium Regularium, attendenda est novissima Constitutio Benedicti XIII quæ affertur. — 27. Habitus, et color peculiaris fuit præscriptus pro discretiva visibiliter servanda in quolibet Ordine Regulari. — 28. Quam diversitatem Habitum, et præceptum servandi formam illius juxta præscriptum a Constitutionibus procedere etiam quoad Moniales, decrevit Sacra Congr. Concilii. — 29. Una Religio non debet, nec potest assumere Habitum alterius Religionis. — 30. Clerici sæculares nequeunt deferre Habitum Regularium, et e contra. — 31. Pueri quoque sexto ætatis suæ anno expleto non possunt amplius neque ex devotione Habitum Religiosum deferre, sed ipsum debent statim deponere. — 32. Novitio exeunti non est restituendus Habitus Religionis, sed illius pretium. — 33. Præfinitur tempus pro illis, qui Habitu Tertiariorum recepto cum Claustralibus habitant, et poenæ in Superiores transgressores, usque ad n. 35. — 36. Prohibentur disputationes super vera forma Habitum Sancti Francisci. — 37. Interdicuntur libri omnes tractantes de vera forma Caputii. — 38. Insuper inscriptiones omnes imaginum SS. Francisci, et Antonii de Padua, in quibus asseritur latam formam Habitum esse eandem, qua ipsi usi fuerunt, etc. — 39. Suspenduntur quoque, et prohibentur Imagines Sancti Augustini, et Sancti Nicolai de Tolentino, et aliorum Sanctorum ejusdem Ordinis impressæ et depictæ a Fratribus discalceatis Augustinianis in eorum Habitu. — 40. Imagines Domini nostri Jesu Christi, et Deiparæ Virginis Mariæ, ac Angelorum, Apostolorum, Evangelistarum, aliorumque Sanctorum, et Sanctarum nequeunt sculpi, aut pingi cum Habitu peculiari alicujus Ordinis Regularis, seu alio modo in Ecclesia Catholica incon-

(1. Habitus non facit Monachum, sed Professio regularis, textu expresso in cap. *Porrectum 13 de Regularibus*, ibi: « Cum Monachum non faciat Habitus, sed Professio regularis, » et in capit. expart. 22, eodem titul., ibi: « Cum habitus non faciat Monachum, sed Professio regularis; » et est communis doctorum sententia cum Glossa in cit. cap. *Porrectum*, verb. *Non facit Habitus.* (2. Ad hoc tamen, ut Professio regularis faciat verum Monachum, debet Novitius per integrum annum probationis deferre Habitum

sueto, et jam sic sculptæ et pictæ prohibentur teneri, et publico aspectui exponi, et mandantur ab Ecclesiis, et ab aliis locis quibuslibet amoveri, et deleri sub gravissimis poenis. — 41. Habitum Fratrum Mendicantium osculantibus sunt concessæ Indulgentiæ, et quæ? — 42. Tales Indulgentiæ lucrari possunt iidem Regulares. — 43. Eligentes mori, et sepeliri cum Habitu Fratrum Minorum, et respective Monialium S. Claræ, et Sororum Tertiæ Regule lucrantur inter alias Indulgentiam plenariam, ad quam lucrandam sufficit Habitum prædictum petere, ac super se usque ad mortem habere, ac in eo sepeliri, etiamsi ante mortem non induatur. — 44. Eligentes sepeliri in aliquo Habitu Religiosorum sive Minorum, sive aliorum, debent, ut lucentur Indulgentiæ, recipere habitum a Superiore illius Religionis, cujus est Habitus, vel ab alio de cujus mandato. — 45. Volentes sepeliri cum Habitu Religiosorum non est de necessitate, quod tumulentur in Ecclesiis eorum, quorum est Habitus, sed possunt sepeliri ubi sepulturam elegerint. — 46. Corpora volentium sepeliri cum prædicto Habitu possunt deferri ad sepulturam sine alio pallio, vel tegumento superimposito, non obstante quacunque ordinatione, vel prohibitione Ordinariorum locorum, etiam sub Censuris facta. — 47. Sæculares utentes Habitu Religiosorum ignominiose in ludis vel in lasciviis, peccant mortaliter, et incurunt graves poenas, et possunt puniri etiam per Judices Sæculares. — 48. Sic mortaliter peccaret, qui Habitum traderet ad lulum profanum, aut ad facinus exsequendum. — 49. Moniales tempore Bacchanalium recreationis gratia nequeunt dimittere proprium Habitum et assumere alium Sæcularem, præsertim virilem. — 50. Femina non potest uti veste virili, nec vir veste feminea, et si hoc fiat sine prava intentione, periculo scandali, et libidinis, erit tantum peccatum veniale, alias mortale; et si fiat ex necessitate, nullum erit peccatum. — 51. Habitum, et Tonsuram deferre tenentur Clerici beneficiati, non solum in sacris constituti, sed etiam in Minoribus, et Tonsurati sub poena privationis ipso facto beneficiorum, et pensionum, absque alia monitione. — 52. Habitum decentem, atque vestem talarem deferre tenentur percipientes fructus, vel pensiones ex Beneficiis Ecclesiasticis excedentes valorem 60 ducatorum auri de camera. — 53. Habitus dimittens Clericalem potest illum iterum reassumere, non obstante Irregularitate superveniente, et Ordinarii prohibitione. — 54. Clericalis vestis Laicis Curialibus permittitur præter Collare, quod sit a Collari Clericorum diversum. — 55. Cætera usque ad num. 63, non indigent summario, cum satis summarie referantur in decretis adductis. — 64. Utens Habitu honorifico alicujus, ab eo inhiberi potest. — 65. Habitus parvi an benedicti debeant a Parochis, vel a Religiosis postea introductis in eadem Parochia? — 66. Canonici Regulares Lateranenses obtinentes ex Indulto Apostolico Beneficium sæculare, an teneantur deferre Habitum Regularem. — 67. Alia concernentia Habitum Clericalem remissive. — 68. Alia concernentia Habitum Religiosum, remissive. — 69. Habitus quoad Tertiarios, remissive.

Monachalem, seu Regularem, aliter professio est invalida. Conc. Trid. cap. 13, sess. 25, *de Regularibus*, et sic tenent communiter doctores, et Glossa in cap. final., verb. *Habitus*, 17 quæst., et in cap. *Super eo, de Regularibus*, ubi expresse dicit probationem debere fieri in Habitu Monachali, et cap. *Statuimus, de Regularibus*; « alioquin, inquit, non posset probare austeritatem Monachalem, quæ magna ex parte in vestibus consistit. » (3. Et quod in habitu sæculari nequeat fieri Novitiatus, expresse decrevit Sac. Cong.

Episcop. et Regul. in una Senogallien. 17 Aprilis 1602, et una Mediolan. 25 Octobr. ejusd. anni 1602.

(4. Habitus Novitiorum est triplex pro diversitate Religionum, ac Constitutionum earum, et consuetudinis, ut bene advertit Glossa communiter recepta in Clement. *Eos qui 2 de Regularibus*, verb. *Deinceps*. Primo enim in aliquibus Religionibus est penitus indistinctus ab Habitu professorum, de quo in cap. *Statuimus 23, de Regularibus*, et in cap. *Is qui 1, in 6*. Secundo in nonnullis Religionibus est quidem distinctus, sed latenter seu non patenter, ut si Habitus Professorum soleat benedici, non Habitus Novitiorum; cit. cap. *Statuimus 23, de Regularibus*, et cit. cap. *Is qui 1, de Regularibus*, in 6. Tertio in pluribus Religionibus est patenter, et manifeste distinctus ab Habitu Professorum; cap. *Constitutionem 3, de Regularibus* in 6, v. g. quia Habitus Novitiorum est albus, Professorum vero niger, vel quia habet alia externa patentia signa, uti in mea Religione, et Provincia, ubi ad Novitiorum Habitus appenduntur petia ad distinctionem Habitus professorum. (5. Deferre Habitus Novitiorum non est de essentia, et necessitate anni probationis ad validitatem Professionis, sed sufficit deferre Habitus Religionis seu professorum, quia etsi de jure communi Canonico Novitiatu debeat omnino, et simpliciter fieri in habitu Regulari, ut dicit Glossa in cap. *Si quis 3*, claus. 17, quæst. 2, in verb. *Habitus*, et habetur in cap. 1, *Super eo, de Regularibus*, ibi: *Religionis Habitus susceperunt*, et cap. *Statuimus 23*, eod. tit. ibi: *Ante susceptum Religionis habitum*. Nihilominus in citatis locis nihil specie dicitur de Habitu Novitiorum, sed tantum de Habitu Religionis, qui æque se extendit ad Habitus Novitiorum, et Professorum etiam si inter se reperiantur in aliqua Religione distincti. Quis enim diceret, quod in mea Religione, et Provincia Habitus delatus per integrum annum Novitiatu, solum ex quo non habuerit appensa supradicta parvula petia, non sufficeret ad validitatem Professionis expressæ, concurrentibus omnibus aliis requisitis? Tum quia ex supradictis in pluribus Religionibus Habitus Novitiorum est penitus indistinctus ab Habitu Professorum, et in specie de suo præclarissimo Ordine Prædicatorum testatur doctissimus Donatus in *Praxi rerum Regul.* tom. II, tract. 10, q. 23, num. 1, dicens, quod Novitiorum et Professorum est unus, et idem omnino habitus, sola benedictione distinctus, et tamen validissimæ sunt Professiones. Unde secundum jura supracitata debet intelligi Concilium Tridentinum in cap. 15, sess. 25, *de Regularibus*, ibi: «Nec qui minori tempore quam per annum post susceptum habitum (supple Religionis) in probatione steterit,» ut bene advertit Suarez tom. III *de Relig.* lib. xv, *de ingressu* cap. 14, num. 10 Donatus tom. IV, tract. 11, quæst. 4, num. 4, et patet ex eo, quia per Trident. loc. cit. non aufertur Professio facta, quæ incurritur per annalem probationem factam cum habitu Professo-

rum cap. *Ad nostram 8, de Regularibus*; et Clementin. *Eos qui 2, de Regularibus*, et notat Pellizar. in tract. *de Monialibus*, ant. 2, sect. 2, qu. 13, num. 40. Donatus loc. cit. n. 4, et sic respondit sac. Cong. Concil. ut refert Armendar. in addit. ad recopilat. LL. Navarræ, lib. vii, tit. 18, *de Relig.* n. 6. Navarr. in sua *Lucerna Regul.*, verb. *Professio*, n. 24.

(6. Hinc Novitius deferens per annum Religionis Habitus, completo integro anno probationis, censetur tacite professus, si Habitus, quem defert, sit patenter indistinctus ab Habitu Professorum, et aliunde concurrant aliæ qualitates requisitæ Clement. *Eos qui 2, de Regularibus*, per expressa verba infra adducenda; Donatus tom. II, tract. 10, quæst. 22, num. 1, cum aliis infra citandis. (7. Secus autem si Habitus Novitiorum sit patenti distinctione distinctus ab Habitu Professorum, nempe in colore, forma, et scissura, prout in Ordine Minorum; habetur utriusque conclusionis decisio expressa in cit. Clement. *Eos qui 2, de Regularibus*, ibi: «Eos, qui deinceps in discretionis constituti ætate Novitiorum Habitus in aliqua Religione per annum portaverint, hoc ipso Religionem illam decernimus esse professos. Nisi hujusmodi Habitus in colore, scissura, vel forma se distinctum patenter exhibeat ab Habitu Professorum;» sic Silvester, verb. *Relig.*, 3 quæst., 19, vers. 3, *Inducitur*. Navarr. *de Regularib.*, consil. 41, num. 1, in 1 edition. et comm. 4, eodem tit. num. 72 et 74. Rodriguez in *Compend. resolut.* 101, in fin. Donat. loc. cit. num. 2, et alii. (8. Nec requiritur protestatio ad hujusmodi Professionem præcavendam; Miranda tom. I *Manual. Prælat.*, q. 24, art. 10, in fine, quia ipsummet signum, quod patenter defertur, et quod a Professis distinguit, est sufficientissima protestatio. Panormit. in cap. *Ex parte*, et cap. *Postulasti, de Regularibus*; Donat. loco citato, num. 3. (9. Nec nocent antiqua Jura, quia censentur correctæ per dictam Clementin. *Eos qui 2, de Regularibus*. Donat. loc. cit., n. 5. Imo Silvester loc. cit., Donat. loc. cit., dicunt, quod talis delatio quantumcunque producta etiam ad centum annos, nunquam talem Professionem inducet.

(10. Habitus Religionis debet patenter deferri, non autem occulte; nullus enim Religiosus de jure communi potest habitum sui Ordinis dimittere, ut constat ex cap. *Ut periculosa 2, Ne Clerici vel Monachi* in 6, et ex Tridentino sess. 29, *de Regularibus* cap. 19, in fin., ubi sic expresse habetur: «Nec detur licentia cuicumque Regulari occulte ferendi habitum suæ Religionis,» et sic docet Navarr. lib. III *de Regul.*, consil. 51, num. 3, et consil. 53, num. 1. Donat. tom. I, tract. 3, num. 3, et alii passim. (11. Potest autem Religiosus Habitus occulte deferre, seu etiam deponere, et alium induere absque ulla culpa, dum transiturus est per loca infidelium, vel Hæreticorum cum periculo vitæ, aut ob metum servitutis, verberum, vel alterius gravis incommodi, et ut evadat incolumis, neque cognoscatur ab hostibus ipsum ad necem insectantibus, et hujus-

modi; arg. cap. *Deus qui 11, de vita et honestate Clericor.*, sicuti ob similes rationabiles et justas causas potest Clericus occulte deferre suum Habitus Clericalem, et alium induere; Barbosa in Clementin. *Quoniam 2, de vita et honestate Clericor.* Portell. verb. *Habitus*, § *Additio*, num. 1. Reiffenstuel, lib. III, *decret.* tit. 1, n. 113 et 117. Bonacina tom. III, *de Censuris*, disp. 3, q. 6, punct. 6, num. 2. Sanchez, Cajetan, Aragon., et alii communiter, post Glossam in cap. *Clericus 5, de vita et honestate Cleric.*, verb. *Relaxaverint*, ubi id declarat exemplo Clerici, qui a Papa reprehensus, quod sine Tonsura, et Habitu Clericali Romam accessisset, sequentibus versiculis se excusavit:

Tutus ut peterem Laici sub imagine Romam,
Fas fuit, ut sinerem luxuriare comam.

(12. Religiosus dimittere temere Habitus suæ Religionis est ipso facto excommunicatus, textu expresso in cap. *Ut periculosa 2, Ne Clerici vel Monachi* in 6, ibi: «Ut periculosa evagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus, ne de cætero aliquis quamcunque Religionem tacite, vel expresse professus in scholis, vel alibi temere Habitus Religionis suæ dimittat; nec accedat ad quævis studia litterarum, nisi a suo prælato cum consilio sui Conventus, vel majoris partis ejusdem, sibi eundi ad studium licentia primitus sit concessa: si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto.» (13. Habitus dimissio dicitur temeraria ad incurrendam hanc excommunicationem, cum sit animo vagandi, et sine rationabili causa, secus si ex justa causa; Barbosa in d. cap. *Ut periculosa*, num. 5. Suarez tom. V, disp. 23, sect. 4, n. 27 et 29. Sanchez in *Præcepta Decalogi*, tom. II, lib. vi, cap. 8, num. 41, et alii passim. (14. Religiosus temere exiens a Claustro cum Habitu ita abscondito, ut a circumstantibus cognosci nequeat, cujus Ordinis sit Religiosus, incurrit dictam excommunicationem, quia licet non dimittat Habitus materialiter, dimittit tamen formaliter, in quantum est talis Religionis potestativus, et sine illo, sive dimisso, sive abscondito non cognoscitur quod sit hujus vel illius Religionis; Bannes 2, 2, quæst. 12, art. 1, qu. 3, dub. 2, conclus. ultim. Cajetan. in *Summ.*, verb. *Excommunicatio* cap. 61. Donat. prax. *Rerum Regul.* tom. I, part. II, tract. 6, quæst. 8. Navarr. in *Manual.* cap. 27, num. 131. Suarez tom. IV, lib. III, cap. 5, num. 12. Rodrig. tom. I, quæst. 30, art. 2. Sanch. loc. cit., cap. 8, num. 63, et cum variis aliis Barbosa loc. cit., sub num. 5.

(15. Religiosus dimittere Habitus temere, sed intra Claustra, non incurrit dictam excommunicationem, quia ipsa incurritur ob dimissionem Habitus factam ad finem libere vagandi, ut aperte habetur in principio ipsius cap. *Ut periculosa*, ibi: «Ut pericu-

(14. Non video, cur non incidat in censuram dimittendo Habitus ad breve tempus propter pravam illum finem: dimissio enim Habitus eo tunc animo

losa evagandi materia subtrahatur,» et cessante causa finali Legis, cessat legis dispositio; l. *Adigere* § 2, ff. *de Jure patronat.* maxime si sit pœnalis, ut est ista, de qua agitur, cum Lex pœnalis sit potius restringenda, quam amplianda; arg. c. *Odia 15*, et c. *In pœnis 49, de Regul. Juris* in 6. Talis autem Religiosus in nostro casu, dum existit intra septa Monasterii, ut supponitur, non potest dici, quod actu vagetur extra illud, adeoque non incurrit dictam pœnam, seu Excommunicationem. Donat. loc. cit. quæst. 9, per tot. Angelus, verb. *Excommunicatio* 7, casu 27, et alii. (16. Non incurrit dictam Excommunicationem Religiosus, qui intra, vel extra septa ex quadam levitate dimittit Habitus suæ Religionis, verb. gr. ut quietius dormiat, melius studeat, expeditius currat, aut saltet, aut lapidem projiciat, ut Habitus purget, vel accomodet, ut se in balneo melius lavet, et hujusmodi; quia non censetur facta dimissio Habitus ex contemptu legis; Suarez tom. V, *de Censur.* dist. 23, sect. 4, numer. 29. Donat. loc. cit., quæst. 7, num. 2. Sanchez loc. cit., cap. 8, num. 53. Sayr. lib. III, cap. 33, numer. 13 et 14. Barbosa loc. cit. n. 7 et 8, et alii apud ipsum. (17. Nec etiam dictam Censuram incurrit, si Habitus dimittat ad finem domesticæ manendi per totam diem in Camera, vel alibi, dummodo sæcularium conspectui non se exhibeat, quia talis dimissio Habitus non dicitur facta ad finem vagandi; Cajetan. verb. *Excommunicatio*, cap. 61. Donat. loc. cit., qu. 7, n. 3, et alii. (18. Nec item incurritur d. Censura propter dimissionem Habitus, si fiat animo adeundi pro brevi tempore ad lupanar, vel ad aliquid turpius peragendum; Sanchez loc. cit., cap. 8, num. 56. Donat. loc. cit. quæst. 7, n. 3. Barbosa loc. cit., n. 9, et alii (14).

(19. Religiosus tenetur semper portare Habitus suæ Religionis, ut colligitur ex c. *Sanctimonialis virgo 24*, dist. 23, ibi: «In talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura est Professioni et Sanctimoniali aptis;» et cap. *Vidua 15*, 20, quæst. 1, ibi: «Tunc accepta a Sacerdote apta Religionis Professioni veste, in quocunque loco consistens constanter eo utatur.» Cum enim Habitus sit signum protestativum propriæ Religionis, astringuntur Professi illum semper, et in omni occasione portare, ex Conc. Trid. sess. 14, cap. 6. (20. Verum ly semper debet intelligi moraliter, hoc est seclusis causis rationabilibus occultandi, vel dimittendi Habitus Religionis propriæ, ut sunt illæ assignatæ sub num. 11, et aliæ consimiles; Donat. loc. cit., q. 5, *per totum*. (21. An autem Religiosus teneatur deferre proprium Habitus etiam in lecto, et dormire cum ipso sub culpa? Respondent doctores, quod de Jure communi non licet Religioso Professo dormire sine Habitu absque peccato nisi ab eo excusetur ex aliqua causa rationabili, ut colligitur expresse ex c. *Vidua 15*.

fieret, quo liberius concupiscentiæ et libidini serviret. (NOTA ROM. THEOL.)

caus. 20, quæst. 1, ibi: *Seu in lectulo quiescens*, et cap. *Sanctimonialis virgo 24*, dist. 23, cujus verba relata sunt sub num. 10. (22. An autem dormire sine Habitu sit peccatum veniale, seu mortale; relictis brevitas gratia diversis doctorum opinionibus, quorum aliqui volunt esse peccatum veniale, et alii esse peccatum mortale, maxime si sit cum scandalo; Respondeo cum sapientissimo Donato loc. cit., quæst. 10, n. 6, quod ad hoc dignoscendum unusquisque Religiosus debet attendere tenorem suæ Regulæ, et particularium Constitutionum sui Ordinis; quæ si de hoc quod quæritur, nihil dicant, recurrendum est ad jus commune, nempe ad d. cap. *Vidua 15*, caus. 20, quæst. 1, et cap. *Sanctimonialis virgo 24*, dist. 23, quæ duo capitula, cum non sint præceptiva, sed consultiva, et inter consilium, et præceptum magni intersit, videtur dicendum, quod dormientes sine Habitu, dempto contemptu, et scandalo, non peccent ne quidem venialiter, etsi alias sint castigandi.

(23. Habitum suorum Ordinum debent deferre Regulares ad cardinalatum assumpti Gregor. XIV. Const. incip. *Sanctissimus*, et Bened. XIII. Const. incip. *Custodes*. (24. Sic Episcopus Regularis tenetur portare Habitum suæ Religionis; *Communis* cum Henriq. in *Summa*, lib. x, cap. 32, § 5, et cap. 33, in fine Valent. 2, 2, disp. 10, quæst. 3, punct. 8. Azor. part. 1, lib. xii, cap. 7, quæst. 4. Bartholomæus a S. Fausto in *Thesauro Relig.*, lib. vi, quæst. 199. Barbosa super Trident. sess. 25, de *Regularibus*, c. 19, num. 38. Lessius de *Justitia* lib. ii, cap. 40, dubit. 14, n. 113. Petrus de Ledesma in *Summa*, part. ii, tract. 32, cap. 3, ad fin. Fr. Joan. a Cruce de *Statu Relig.* lib. 1, cap. 7, dubit. 4. Sanch. in *Præcepta Decalogi* tom. II, lib. vi, cap. 6, num. 22, et ex multis probat Rodrig. *Addition. ad Summ.*, verb. *Episcopus*, cap. 68, conclus. 6, maxime ex Concilio Lateranensi, et addens Sixtum V semper gestasse Habitum Regularem Ordinis, ut de facto vidimus etiam hisce nostris temporibus Benedictum XIII semper eum gestasse, et citat Cæremoniale Papæ Clementis VIII, ubi jubetur, quod Episcopus Monachus non portet rochetum, sed vestes coloris sui Habitum Regularis, cum birreto nigro, et galero circum circa fibrato viridis coloris. Et sic novissime statuit sub pœna suspensionis ab exercitio Pontificalium ipso facto incurrenda Benedictus XIII, cit. Constit. incip. *Custodes*, relata per extensum a D. Ursaya tom. VI, p. 2, disc. 37, n. 6, ubi multa ad rem; quæque etiam a nobis ad litteram afferentur infra sub n. 26.

(25. Episcopi autem, et Cardinales Regulares, quamvis peccent si sine causa Habitum Religionis deponant, non incidunt in Excommunicationem latam a Bonifacio VIII, in cit. cap. *Ut periculosa 2*, ne Clerici, vel Monachi in 6, quia Episcopi, et Cardinales licet teneantur deferre Habitum suæ Religionis, et certe peccarent si talem Habitum non deferrent, ut docet Cardi. Petra tom. IV, *Comment.* in Constit. 2 Eugenii IV, num. 22, et tom. V, in Constit. 9 Sixti IV, sub num. 17, tamen

sunt extra Religionem, quo ad vim coactivam, ita ut requiratur mentio specialis eorum, et non possint venire sub nomine, et turba Professorum, de quibus loquitur Bonifacius VIII, in cit. c. *Ut periculosa*, quotiescunque elevati fuerint ad dignitatem Episcopalem; maxime quia cessat causa et ratio *textus* ne vagentur Professi extra obedientiam Superiorum Habitu dimisso, quod non est verificabile in Regularibus Episcopis, et Cardinalibus; Passerin. tom. I, de *Statu homin.*, quæst. 185, art. 8, num. 142. Diana, part. ii, tract. 2, de *dub. Regul.* resolut. 50. Card. Petra, tom. V, *Comment.* in Constit. 9 Sixti IV, num. 17. Barbosa super Trident. sess. 25, de *Regularib.* cap. 19, n. 39. Azorius l. c., lib. xii, c. 17, q. 4. Sanchez l. c. cap. 6, n. 23. Bartholomæus a S. Fausto loc. c. q. 200. Fr. Emman. tom. II, q. 58, art. 3. Sanctarell., de *Apostasia* c. 1, n. 15. Bonacina, et alii passim, contra Majol. de *Irregul.* lib. ii, cap. 1, num. 13. Fulv. Pacianum, cons. 132, num. 42, vol. i. Surd. de *Aliment.* tit. 8, privileg. 79, num. 10. Henriq. lib. x, cap. 33, in fin. et alios existimantes Episcopum Regularem omittentem Habitum, et assumendo illam albam et candidam vestem; quæ ab Episcopis exterius defertur, incurere excommunicationem latam contra Monachos deponentes proprium Habitum in cit. cap. *Ut periculosa 2*, *Ne Clerici vel Monachi* in 6. (26. Habitu Clericorum Sæcularium, qui in Episcopos creantur, uti possunt Canonici Regulares ad Episcopatum assumpti; Leo X Constitut. incip. *Dudum*. Nunc autem quoad concernentia Habitum, et varia alia Episcoporum, et Regularium, attendenda est novissima Constitutio Benedicti XIII, quæ ut ab omnibus percipiatur, hic ad litteram datur.

BENEDICTUS PP. XIII.

Custodes super viros Hierusalem a Christo Domino constituti, de omnibus Sacrorum virorum Ordinibus in eo, quo decet, sanctioris disciplinæ splendore servandis magnam vigilantiam, et sollicitudinem gerere debemus; tum vero illud nobis incumbit, ut qui e Regularium Monachorum, et Mendicantium institutis ad onus Episcopale admoventur, majoris observantiæ, et virtutum specimine gregi sibi subjecto præluceant, primævique instituti, cui nomen dederunt, insignia more majorum perpetuo retineant non solum in monastica, et regulari professione, sed etiam in specialibus indumentis, inque rasili tonsura ad planitiem cutis in summo capite circumducta, vel eo gyro, et forma, quibus quisque, ut sui Ordinis Regularis, Monastici, et Mendicantis peculiaribus signis, pridem solemniter vitam Deo consecraverat.

Mærorem, quem jamdudum animo premimus, celare diutius non possumus, nec debemus, quippe quem post nostram humilitatem ad summum Apostolatum erectam, præsulum doctrina, et pietate præstantiam expostulationes auxerunt, nimirum quod

nonnulli Episcopi ex Regularium, Monachorum, et Mendicantium familiis assumpti reperiantur qui brevioribus vestimentis pristinae suæ professioni minime congruis, sed quibus tantum inferiores clerici sæculares uti soleant, se in ipsa etiam civitatum frequentia palam spectandos pati non erubescant, laneasque tunicas a suorum Ordinum conditoribus præscriptas, et eorundem vitæ sanctimoniam quodammodo consecratas induere detrectantes, etiam contra Cæremonialis Episcoporum sanctiones, a Romanis Pontificibus antecessoribus nostris probatas, summa omnium admiratione vestes sericas præferant, eo quoque impudentiæ, sui status plane immemores, progressi, ut albas chirothecas ad ostentationem gerant, inque Pontificalibus Ecclesiæ functionibus, unde omnis arrogantiæ typhus, et fucus abesse debet superpelliceum Episcopis Monachis, vel ex Ordinibus Mendicantium proprium abjicientes, rochetum Præsulum ex Clericis sæcularibus, vel regularibus assumptum temere adhibeant, nec defuerit, qui colores a suo instituto omnino abhorrentes in exterioribus vestibus jactare non dubitaverit. Hæc quam dedecent Episcopos, qui ex Monachorum, et Mendicantium regulis non sine spiritus Apostolici afflatu conscriptis, modestiam Sacerdotalem nunquam ex suis animis obliterandam, cæterasque virtutes aliis propinandas haurire debuissent, quosque in majori gradu, quo Spiritus Sanctus eos posuit, auctas retinere oporteret, non jam nostris verbis dicemus, ne ipsi, qui regulam Ordinis Fratrum Prædicatorum, quam professi fuimus, et profitemur, quique onus Episcopale per totos quinquaginta annos sustinentes ejusdem nostri Ordinis sacros ritus, disciplinamque, Deo juvante, in omnibus observare studuimus, exprivato affectu loqui videamur: sed suis verbis dicent Romani Pontifices, qui nobis in eorum locum longe dispari merito suffectis exempla, quæ sectari debeamus, reliquerunt. Dicent Concilia ab hisdem probata, auctorum Ecclesiasticorum, quos honoris causa Patres, Doctoresque appellamus, documenta memorabunt.

Ut ergo a primis, hoc est a Romanis Pontificibus ordiamur, in clytæ record. Innocent. Papa III, Pennensem Episcopum Ordinis Cisterciensis, olim Abbatem, propterea graviter objurgavit, quod post acceptum Episcopatum « in sui Ordinis injuriam ageret in pluribus, ut apostata, et propriæ conditionis oblitus, picturata sella, et chirothecis sericatis uteretur, amplo se galero coronaret, et Cisterciensis Ordinis observantias non custodiret, a quibus eum Pontificalis dignitatis susceptio non absolveret, » sed earumdem onus ei magis auget. Si ad Conciliorum statuta evolunda hinc processerimus, nobis se offeret Canon 27 Concil. œcumenici VIII, seu Constantinopolitani IV discernens, illos, qui Monasticam vitam amplexi, « Episcopalem meruerunt honorem, conservare schema, et amictum Monasticorum indumentorum, et ipsam beatam vitam, nullamque habere potestatem deponendi jam

dictum schema propter typhum, arrogantem voluntatem, ne per hoc inveniatur propriorum transgressor pactorum. Postremo Episcopum, qui Monasticarum vestium schema deposuerit, aut corrigendum, aut deponendum statuit. » Hæc rata habuit Canon. 16 Concil. Œcumenici XII, sive Lateranensis IV, sub jam dicto Innoc. Papa III definiens, *Episcopos Monachos deferre Habitum Monachalem*. Hoc idem postea sanxit Synodus Londinensis ab Otthobono S. R. E. Diacono Cardinali S. Hadriani, et Apostolicæ Sedis Legato celebrata, cujus Canon 5, « iis, qui de Monasteriis, vel de regularibus locis in Episcopos sunt assumpti; vel de cætero assumuntur, suum deferre Habitum regularem » speciatim indicit. De inconvenientia, et dedecore Habitum splendidi in Episcopis sæcularibus, eoque magis in regularibus, exstat Canon. 16 Concil. Nicæni II. Sed nostrorum temporum regulares Episcopos instruentem audiamus Ferrandum Carthaginensis Ecclesiæ diaconum de B. Fulgentio Ruspensi Episcopo testantem, Episcopatum sine aliqua ambitione ab illo susceptum, « nec ita factum Episcopum, ut esse desisteret Monachus, sed eum, accepta Pontificis dignitate, professionis præteritæ servasse integritatem, nunquam pretiosa vestimenta quævisse, orario, sicuti Episcopi, nunquam usum, sed pelliceo cingulo, tanquam Monachum. » Nec vero soli Episcopi, sed et ipsi Romani Pontifices eadem Religione se obstringi voluerunt. De Magno enim Gregorio intelligimus una cum ejus corpore inventum baltheum, « qui speciem propositi regularis, olim a S. Benedicto statuti, manifestaret. » De Eugenio III legimus « laneam tunicam carni ejus adhæsisse, et diebus ac noctibus cuculla vestitum intus Monachi Habitum retinere, extra se Pontificem, et moribus, et vestibus exhibere consuevisse. » Denique Doctor Ecclesiæ B. Thomas Aquinas, ob sanctioris doctrinæ excellentiam *Angelici* elogio cognominatus, cujus hodie festa recolimus, diserte docuit: « Si qua sunt in regularibus observantiis, quæ non impediant Pontificale Officium, sed magis valeant ad perfectionis custodiam, sicut est continentia, paupertas, et alia hujusmodi; ad hæc remanet Religiosus, etiam factus Episcopus, obligatus; et per consequens ad portandum Habitum suæ Religionis, qui est hujus obligationis signum. »

Hæc in sacris receptisque Ecclesiæ Codicibus de exteriori amictu, et habitu Episcopi regularis sancita reperimus, quæ nostrates ejusdem disciplinæ Episcopi sibi dicta meminere. Rasilem capitis coronam in orbem expressam ad humilitatem docendam regulæ Monasticæ, constitutiones, usus, et consuetudines statutis anni temporibus earumdem Sacris alumnis renovandam præscribunt: quos postea Episcopali characterem insignitos ea maxime distinguendos nemo in dubium vocaverit. Hæc tamen, quæ ex venerandis Ecclesiæ monumentis adduximus, cum per humanam corruptelam, nisi eis occurratur, nobis ipsis spectantibus, in desuetudinem